ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni,

Aveo ex Te scire, num Hagae Comitis adhuc moretur et moraturus sit
Heros HEINSIVS. Mitterem illi exemplar mei Argonau-
tici, cuius ipso praesente mentio facta est [à viris litteratis] Amstelo-
dami inter pocula. Significavit tum non obscure
gratissimum sibi fore, si daretur, additis et aliis verbis
boni ominis, quae, ut ascribam non patitur mea modestia.
Quaeso consule quid facto opus sit, an suadeas ut cras
mittam Hagam, necne. Si ab A. T. impetrare
possim ut Poëmation meum tanto Heroi offerre dignetur,
aliquod fortè eius pretium esse putabitur. Vellem
intelligeret ipse. Sed qui possit vir inter fluctus
et procellas, et immites Deos Aeolum ac Neptunum
enutritus. Vt ipse offeram à pudore meo impetrare
non possum, ne videar cum Musis ad mercatum profectus.
Vale Vir Amplissime, et vel tribus verbis quam
fieri poterit citissimè me certiorem fac, quid suadeas.
Vereor enim ne longiore mora gratia novitatis decedat
Carmini. Ex officina Bassonii 25 Jan. 1629.

A. Tuae
observantissimus

C. Barlaeus.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 29
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/423

Aen d'Ed. Heere
Ed. Heere
Constantinus Huijgens
Ridder, Secretaris van Sijn
Ex^tie wonende in de
middelste gortstraet

Cito

Hage

[illegible]
25. Ian. 29.